

1184 Quod vivens non presumpxi, iam moriens appeto, vestro videlicet desideratissimo associari collegio. Ad hanc confidentiam quādam visione me animatum vestra scire dignetur sanctitas. In somnis enim nūper me videbam ductum ad quoddam magnū ac mirificae fabricae edificium, in quod quia gradus difficiles erant, eo quod longe ab invicem positi essent, ascendere desperavi, cum ecce subito flos et gemma ordinis vestri, sanctus Bernardus, quem nūquam in carne videram, hilariter apparuit et instrumenta duorum baculorum, quos cruccas vocant, ostendit, quibus suffultus eum intra iucundissimū palatium secutus sum. Porro in dextra parte huius palatii ingens apertura in modum arcus testudinati visa est michi, per quam quotquot erant ordinis vestri introiverunt in splendidissimū domiciliū. Michi autem in extrinseca domo ista cernenti et sermonem venerabilis abbatis audire cupienti ipse me homuncionem per manū suā apprehendens secum duxit ac secum collocavit in medio conventus vestri. Per hoc quid aliud intelligam nescio, nisi vestrae benignitatis benevolentiam, per quam in vestri ordinis consortiū, quem semper dilexi et quantum salva obedientia poteram imitari conabar, admisceri exopto. Unde vestrae sanctitatis pedibus provolūtus obnixē deprecor, ut non meae